

GEORGICON I

stuppea torquentem Balaearis uerbera fundae,
 cum nix alta iacet, glaciem cum flumina trudunt. 310
 Quid tempestates autumni et sidera dicam,
 atque, ubi iam breuiorque dies et mollior aestas,
 quae uigilanda uiris? uel cum ruit imbriferum uer,
 spicea iam campis cum messis inhorruit et cum
 frumenta in uiridi stipula lactentia turgent? 315
 saepe ego, cum flauis messorum induceret aruis
 agricola et fragili iam stringeret hordea culmo,
 omnia uentorum concurrere proelia uidi,
 quae grauidam late segetem ab radicibus imis
 sublimem expulsam eruerent: ita turbine nigro 320
 ferret hiems culmumque leuem stipulasque uolantis.
 saepe etiam immensum caelo uenit agmen aquarum
 et foedam glomerant tempestatem imbribus atris
 collectae ex alto nubes; ruit arduus aether
 et pluuiam ingenti sata laeta bouumque labores 325
 diluit; implentur fossae et caua flumina crescunt
 cum sonitu feruetque fretis spirantibus aequor.
 ipse pater media nimborum in nocte corusca
 fulmina molitur dextra, quo maxima motu
 terra tremit, fugere ferae et mortalia corda 330
 per gentis humilis strauit pauor; ille flagranti
 aut Atho aut Rhodopen aut alta Ceraunia telo
 deicit; ingeminant Austri et densissimus imber;
 nunc nemora ingenti uento, nunc litora plangunt.
 hoc metuens caeli mensis et sidera serua, 335
 frigida Saturni sese quo stella receptet,
 quos ignis caelo Cyllenius erret in orbis.